

# Donatio

Waltheri et coniugis eius Williswindae in Eberstat.

Anno XIII regni domini nostri Karoli magni. Helmericho abbate.

**N**os in dei nomine Waltherus et uxor mea Williswinda donamus ad sanctum Nazarium martyrem Christi, qui requiescit in corpore in pago rinensi in monasterio, quod vocatur Lauresham, super fluvium Wiscoz situm, vel ad illam sanctam congregationem monachorum, quae ibidem deo servire videtur, ubi et vir venerabilis Helmericus abbas praeesse dinoscitur, donatumque in perpetuum esse volumus, et promptissima voluntate confirmamus. Hoc est rem nostram in pago rinensi in Eberstat, quidquid ibi visi fuimus habere, tam mansis, campis, pratis, pascuis, perviis, silvis, aquis, aquarumque descursibus, ad integrum a die presente de iure nostro, in ius et dominationem sancti Nazarii tradimus, atque transfundimus, in dei nomine perpetualiter ad possidendum, ita ut ab hac presenti die ad ipsum locum sanctum vel ad agentes ipsius omni tempore proficiat in augmentum, stipulatione subnixā.

Actum in monasterio Lauresham, sub die kl. sept. Sig. Waltheri et coniugis eius Williswindae, qui hanc donationem fieri, et firmari rogaverunt. S. Riphwin, Stahal. Ego Donadeus scripsi.